



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Fasti Mariani

Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Genovefa Virgo. 3. Ianuarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

## S. GENOVEFA VIRGO. 3. Januarij.

**N**on ego GENOVEFAM laudem, cum vel parentes ejus, quod talem genuissent, B. Germanus laudavit. Transibat hic Lutetiam Parisiorum in Britannias Pelagianos oppugnaturus, cum GENOVEFAM parvulam tunc puellam intuitus, latere in ea ingentem virtutem vidit. Itaque blandissimis verbis vitæ religiosæ studium tenellæ suavit. At illa jam tunc annuit. Ergo mnemosynon capit nummum Cruce insignem, jubeturque è collo suspendere, nullo dehinc muliebri mundo temerando. Arrha fuit hic nummus Christi sponsæ, neque fefellit. Noluit deinceps parvula domi agere, sed sui officii identidem clamitabat esse, templum frequentare. Quare fuit, cum lacrimis suis molestantam & clamoribus mater alapa castigaret. At continuo cæca facinus suum vidit. Lucem deinde biennio post à filiâ, cui dederat lucem, recepit. Cæterum hæc velo inter virgines involuta Parisiensibus contra omnes Attilæ exercitus unicum præsidium fuit. Cibum non nisi bis in hebdomada, vinum virginittatis venenum nunquam admisit. Quoties cælum aspexit, hoc gaudiis, illa lacrimis plerumque visa. Virtutem in absente Simeon Stylites laudavit, & sæpiusculè salutavit per nuntios. Apud Reges quoque Childericum & Clodoveum tantum potuit, ut à morte virgo absolveret, quos iudices damnarant. Sed patum hoc est, quando idem apud DEVM. potuit, & lectulo damnatos ægros passim à morbis absolvit. Quidquid quem abstulerat jam, imperio GENOVEFÆ puerum mors reddidit, credo urne decesset, qui virginem Matrem clamaret. *Ex Sur. & Lippel.*

Pez.



Per Baptismatis Sacramentum Spiritus S. factus es templum: noli tantum habitorem pravis de te actibus effugare, & Diaboli te iterum subijcere seruituti, quia pretium tuum sanguis est Christi, qui in veritate te iudicabit, qui misericorditer te redemit. S. Leo serm. I. de Nat. Chr.

S. RIGOBERTVS. EP. 4. Ianuarij.

**D**iscite, qui alienam nobilitatem non aliter ac hereditatem aditis, amplius etiam vestram operam hanc condecorare; imò domi vestræ hoc est, apud animum vestrum veram nobilitatem quærere. Nos eâ in re doctorem ecce vobis RIGOBERTVM suggerimus: hic gentis suæ splendorem literis, literas pietate illustravit: hanc Rhemenses infulâ ornarunt: ille iterum hanc multis magnisque virtutibus, velut gemmis distinxit. Sacerdotes primus id loci in unum coëgit, reditusque, de quibus viverent, communes fecit. Familiariter Magistro equitum Pipino est usus, qui xeniolis, quæ Divus redeunti à venatione missitabat, multum delectatus terræ tantum aliquando concessit, quantum RIGOBERTVS, dum ipse dormiret, ambulando potuit circumscribere. Ab eo tempore nusquam alibi vel campi, vel agri lætius ridere, ridentibus nusquam mitius cælum arridere; Aurea tempora & æternum ver dices. Sed & filium Pipini Carolum (ab animo Martio Martellum post dictum) sacra fontis adinovit RIGOBERTVS. At Carolus ingratus, quòd urbem Rhensem dolo aggressus non admissus esset, apertâ vi post fratrem debellatum ingressus, Pontificæ sedè exegit. Tulit æquo animo exilium, nec multò post ad Pipini dona reversus, vitam sanctissime exegit. Ad tumultu nocte

con-